Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 91
Quelle:
Copyright:

Elenchus ſupra poſt *Prologum* adnotatus in textu reipſa non obſervetur. Ad calcem litera quadrata: *Explicit Liber Prouerbiorum Salomonis Regis.*

Fol. 25. *Incipit Capitulacio In Libro Eccl.* Cenſentur Capita XXVIIII. quae nobis hodie XII. ſunt. Dein: *Incipit Liber Eccl.* C. nobis I. v. 6. pro *in circulos ſuos reuertitur* Codex legit: *in circulo ſuo reuertetur.* Capitulatio rurſum infida; textus enim Capita XXX. exhibet. Ad calcem: *Expl. Liber Eccleſiaſtes*, et continuo

Fol. 32. p. 2. *Incipiunt Cantica Canticorum Quod Hebraice Siraſim Dicitur.* Nullus hic Capitum, quae in textu XXXVI. numerantur, praevius Index. Interlocutores hic, ut paſſim in vetuſtis Exemplaribus, *Sinagoga*, *Chriſtus*, *Eccleſia*, *Sponſus*, *Vox adverſus Hereſes*, quae nomina rubro praenotata ſunt. C. nobis VII. v. 8. pro *odor oris tui* Codex ſcripſit *odores tui.* Ad calcem litera, ut ubivis, quadrata: *Explicit Cantica Canticorum*, et ſtatim

Fol. 36. p. 2. *Incipiunt Capitula Libri Sapientie.* Numerum haec XLVIII. implent, cum hodie XIX. numeremus. Ad calcem eorum legitur: *Explicit Capitula Incipit Liber Salom. Qui Dicitur Sapientis.* Sed mutilus eſt, et deficit in his C. VI. v. 15. verbis: *Qui de luce* — —

Innexum eſt Codici huic Fragmentum aliud membraneum Sec. XIII. Folior. 32. in forma octava, quod absque Autoris nomine primo *Adlocutiones* quasdam breves *ad Clerum* praefert. Initium primae eſt: *Et nunc fratres. quia uos eſtis presbiteri in populo dei* &c. Ultimae: *Statues levitas in conſpectu aaron* &c. ſed haec mutila eſt, habetque poſt ſe *fol.* 49. capite truncam *Symboli apoſtolici Expoſitionem*, ut adeo folia quaedam media exciderint, id, quod ex antiqua eorum ſupputatione patet, quae a numero 294. ad 308. tranſilit. Hic porro expoſitio verborum: *Omnipotentem creatorem celi et terre* &c. ſic infit. *ſecundum ordinem proſecutionis qui in utroque ſimbolo proponitur. Hic eſt tercius articulus de bonitate dei* &c. Ultima ſunt: *pertinet ad fidelium fidelitatem et fidei firmitatem. et hec de fide dicta ſufficiant.* Expoſitionem hanc excipit *Sermo de Caritate* quiſpiam, cujus initium: *Ut poſſitis ſcire ſupereminentem ſcientiam caritatis dei. Eph. III. Inter omnia neceſſaria ad ſalutem maxime neceſſarium eſt* &c. ſed et hic ſermo *fol.* 6. deficit. Itaque nec operae pretium eſt, in Autorem horum fragmentorum inquirere.

XLI.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. 800
Folior. 306. 8. manu currente, ſed non una exaratus, rubricisque notatus complectitur: I. E ſacris Literis *LL. Proverbiorum*, *Eccleſiaſtici*, *Eccleſiaſtis*, *Canticorum* et *Sapientiae*, in quibus nihil ſingulare. *Proverbiis* ſubſcriptum: *Finitur liber prouerbiorum. Anno* 1464. *Eccleſiaſtico* vero:

Ex-